

exempla horum temporum satis declarant, quàm in nobis quoque verum sit, quod hîc Spiritus A sanctus canit.

Verf. 18. &
19.

Ecce oculos Domini, &c. Ut eripiat à morte animas eorum, &c. His duobus versibus prædicat de Deo, quòd timentes: id est, obseruantes & expectantes se custodiat, & ex periculis eripiat. Quibus versibus non solum hoc agit, quod initio Psalmi cœpit, vt ad laudem Dei mentes iustorum ac rectorum excitet: sed simul & ad colendum Deum, & collocandum omnem in illum fiduciam admonet. Nam quis est, qui non cupiat à morte liberari: & in tempore famis durissimam illam necessitatem euadere?

OBSER.
1.

Si liberatio à morte, & à necessitate famis, illis expectanda & speranda est, qui Deum timent & colunt, & non illis qui fiduciam suam ponunt in brachium carnis: quàm quæso non sentunt cum ista Davidis fide, qui putant res mortalium periclitaturas, si maiorem diuinæ Maiestatis & gratiæ, quàm regum ac principum rationem habuerimus? Nos igitur hîc admonemur, vt studeamus ambire oculum: id est, fauorem ac gratiam Dei, qui solus nos potest ex omnibus periculis eripere. Quis princeps vnquam potuit suos in mortis ac famis periculo conseruare?

OBSER.
2.

Notandum est verbum *Expectandi* in versu 18. Nam licet sperandum sit auxilium Dei ijs qui illum colunt ac metuunt: expectandum tamen simul & cum patientia in spe ac fiducia salutis: etiam si non statim adfuerit, perseverandum est. Huc pertinent illi loci, qui iubent nos expectare auxilium à Deo.

OBSER.
3.

Simul annotandum est & hoc, quòd expectationi credentium obijcit bonitatem Dei, vt admo- neamur, obiectum spei & expectationis nostræ non esse vel nostrum meritum, vel debitum aliquod Dei auxilium: sed vnã illam bonitatem Dei, totius nostræ salutis fundamentum & caput.

Verf. 20. 21.
22.

Anima nostra expectat Dominum, &c. Tres vltimi isti versus vocem habent populi Dei: id est, cre- dentium, & omnem spem in vnum Dominum collocantium. qua velut prioribus monitis corre- spondentes, hæc tria agunt. Primum versu 20. profitentur fiduciam in Deum, qua ab illo toti pen- deant: ibi, *Anima nostra*. Deinde versu 21. commemorant qua spe teneantur erga nomen Dei san- ctum: ibi, *Quoniam in ipso, &c.* Tertium, oratione sese pro spe sua bonitati Dei commendant: ibi, *Fiat misericordia, &c.*

OBS. 1.

Emphasis in eo notanda est, quod dicunt vers. 20. *Auxilium & scutum nostrum ipse*. Q. d. Sperent alij in brachium carnis, præsumant de suis viribus: nobis Deus noster auxilium est & scutum. In hunc sperat anima nostra, illum expectat: id est, Ex intimis præcordijs nostris expectamus Dominum. Animus noster, spiritus noster, cor nostrum, à Deo pendet. Nos hodie ore pollicemur multum fi- duciæ erga Deum: verum qui scrutator est cordium, interiora nostra scrutatur.

OBS. 2.

In ipso letabitur cor nostrum, quia speramus in nomen sanctum eius. Iulsi sunt gaudere & exultare in Do- mino. Hoc se facturos pollicentur. Et addunt rationem, nempe quòd sperent in nomen sanctum eius. An- notandum ergo hîc, vnde sit vera cordis lætitia, nempe ex spe diuinæ bonitatis. Ita & alibi: *Lætati- buntur omnes qui sperant in te.*

OBS. 3.

Nota & hoc, quòd dicunt, *se sperare in nomen sanctum eius*. Quid est nomen eius? laus eius. Laus eius est, quòd prædicatur bonus, optimus, fidelis, &c. Huc pertinet, quod alibi dicit: *Sperabunt in te, qui nouerunt nomen tuum*. Et obserua, quàm aptè adiungat *sanctitatis* vocabulum. *Sanctum est nomen Dei*: id est, celebre & venerandum, nihil in se habens vani: sed omnia verissima & augustissima, ne dubitemus omnem spem in illud collocare.

OBS. 4.

Postremò obseruandum est & hoc, quòd professione spei ac fiduciæ suæ preces subtexunt. Nam etiam istud est gratiæ Dei, & immensæ bonitatis, quòd sperantes in se custodiat ac saluet. Vnde me- ritò orandus est, vt faciat, quod alioqui pro sua bonitate facit. Rectè autem orant, vt pro spe sua be- nignitate sua fruantur. Non dicunt, *Pro iustitia, vel meritis nostris*: sed, *Quemadmodum speramus in te.*

PSALMVS XXXIII.

EPIGRAPHA PSALMI.

Psalmus David, cum mutasset sensus suos coram Abimelech, & ille expul- lisset eum, & ipse abiisset.

Historia hac habetur 1. Samuel. 21. In qua sunt ista obseruanda. 1. Primum, in nomine Abi- melech regis, qui in Samuele vocatur Achis, nomine proprio, (nam Abimelech commune erat Philistinorum regum nomen, sicut Pharao Ægyptiorum) pulchrè videmus quid esse debeant populo suo reges, nempe patres. Nam אבירלך, idem est, atque *pater, rex*. Sed hodie malunt esse tyranni, imò leones & vrsi, magis vt domini cupientes metui, quàm vt patres amari. Hinc illud: *Oderint, dummodo metuant.*

2. Secundò. Videtur hîc, quæ fuerit miserabilis conditio Davidis, & quæ fuerit ingratitude pa- triæ, ex qua profligatus, ad hostes fugere cogitur: pro qua paratus fuerat ponere animam, quamq; extentis periculis liberauerat.

3. Tertio. Videre est etiam hoc exemplo, quousque liceat fallere impios. David propheta Dei, vir adpositus ad cor Dei, fit hîc simulator ac deceptor regis Abimelech. Verum talem se gerit, qua- tenus satis erat ad sui liberationem, sine regis detrimento. Cui etiam nihil pollicitus erat, nec vlla erat fide aut sacramento obstrictus.

Vide,